



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

III. De iis, qui possunt Indulgentias concedere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

808 *Moralis Theologia Tract. VII. Sacramenta,*
à casibus Pontifici reservatis. Denique Iubileum in anno
Sancto toties obtineri potest, quoties præscripta opera
geruntur. Sic declaravit Urbanus VIII.

CAPVT III.

De ijs, qui possunt Indulgentias concedere.

11. **Q**uamvis potest Indulgentias concedere? Solus Ponti-
fex primario; alij quidem, quatenus eis à Pontifice
conceditur Episcopi cum limitatione hanc ab illo potesta-
tem accipiunt. In Dedicatione Ecclesie vnus tantum anni
Indulgentiam concedere possunt: In Anniversario Dedic-
tionis quadraginta dierum; quas quidem subditis solummo-
dò in hac vita degentibus valent impertire. Concedit item
Episcopus cuiusvis operis piij prætextu fidelibus congrega-
tis quadraginta dies Indulgentiæ. v. gr. sub Concionis ter-
mino, &c.

12. Num Episcopus in mortali culpa existens valde con-
dat Indulgentias? Ita planè. Imò licet sit excommunicatus
(modò non sit denunciatus, & vitandus) per culpam aut ex-
communicationem hanc iurisdictionem non amisit.

13. An possit hanc facultatem non solum Vicario, sed &
cuiuslibet concionatori, & Clerico demandare? Potest; quia Epi-
scopo competit hæc facultas iure Ordinario, vnde eam po-
test delegare. Num laicis? Minimè. Solus Papa de potestatis
plenitudine eam potest laicis delegare; quia solus potest in
iure dispensare communi.

14. Possunt ne Clerici quacunque dignitate condecorati In-
dulgentias concedere? Non possunt, etiam si Cardinales non
Episcopi sint; quia non sunt Ecclesiastici Thesauri dispensa-
tores, nisi ad id facultatem obtineant.

15. Num Capitulum sede vacante, si quidem Episcopi vice-
gerit, valeat concedere Indulgentias? Nequaquam; quia non
succedit Episcopo in potestate extraordinariæ iurisdictionis
scilicet in iis, quæ sunt Episcopali reservata dignitati.

16. Abbas ne suis in locis iurisdictionem obtinens Episcopa-
lem, potest Indulgentias impertire? Non, licet valeat alios par-
ticipes satisfactionis, & orationum, quæ sunt in Religio-
ne, facere; quia circa Indulgentias non fit Thesauri dis-
pensator.

17. Pontifex, aut Episcopus fruine potest indulgentijs, quas alijs concedit? Potest; quia non debet esse deterioris conditionis, quàm subditi. Tenentur ne ~~id~~ id opus iniunctum ad lu-
crationem indulgentiæ præstare? Opus quidem generaliter in-
iunctum agere non tenentur; sed secum possunt hac in parte
dispensare: loco illius aliud pium opus præstando.

CAPVT IV.

De causa Indulgentias concedendi.

18. **A**N causa ad Indulgentiæ concessionem requiratur? Ita
planè; quæ quidem causã tam ex parte conceden-
tis, quàm ex parte petentis indulgentiam, considerare
oportet.

19. *Causa huiusce exprime sufficientiam.* Erit equidem cau-
sa sufficiens quidquid in Dei honorem, aut Ecclesiæ cedit vri-
litate. Concedi autem affirmo cum *Henriquez* ex motiuo
solius misericordiæ pro animabus Purgatorij. Præterea Prin-
cipi optimè de Ecclesia merito conceduntur, vt alij ad eadem
facinora excitentur; quasi Principis egregia facta sint causa
indulgentiæ. Peccator denique magnus à Papa vt pio pa-
rente ex Thesauo ad satisfaciendum pœnis debitæ potest
adiuari.

20. *Peccat ne qui pro parua causa indulgentias largissimas
concedit?* Peccat; quia concedens indulgentias non est Do-
minus, sed prudens dispensator.

21. *Quid si sine causa, aut leui tales Indulgentiæ concedan-
tur? Valida ne?* Ita planè, vti *Henriquez* ex grauibus anti-
Henriq. quis Doctoribus egregiè ostendit.

22. *Possunt ne pro quolibet opere, aut actu pio etiam leuissi-
mo valide à Pontifice Indulgentiæ concedi?* Imò sic plerunque
concedi edocet experientia. An non plenaria indulgentia pro
Oratione Dominica, aut Angelica salutatione dispensatur?
Certè indulgentiæ frustra concederentur, si ad earum conse-
cutionem æquiualens opus esset necessarium. Scio Pontifi-
cem aliquando posse indulgentias concedere nullum opus
requirendo. v. gr. si defuncto viro Ecclesiæ benefactori in-
dulgentias applicet.